



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Regimini universalis &c. Pastorum Ecclesiæ Sancti Martini Hallis  
Deiparæ unit Personatui, seu Rectoratui Collegii Societatis Jesu ejusdem  
Oppidi: an. 1659.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1644.

ac illius personarum, nec non divinatorum officiorum in illa celebrandorum directione, quæcunque & qualiacunque statuta, constitutiones, ordinationes & decreta, licita tamen & honesta, factisque Canonibus, præsertim verò Concilii Tridentini Decretis minimè contraria, facere, condere & edere, illaque toties quoties, ut pro personarum, rerum, & temporum qualitate, varietate, & ipsius Ecclesiæ utilitate necessarium & opportunum fuerit, alterare, corrigere, & in melius mutare, ac de novo condere & edere, valeant, postquam facta, edita alterata, correctæ, mutata ac etiam de novo condita & edita fuerint, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata esse censentur, & ab omnibus, ad quos spectabit, sub penis in eis statuendis & comminandis, inviolabiliter observari debeant, plenam, liberam, & amplam facultatem tribuimus & impartimur. Non obstantibus nostris, per quam dudum inter alia volumus, statuimus & ordinavimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annum valorem secundùm communem existimationem, tam Beneficii uniendo, quàm illius cui aliud unigretur, alioquin unio non valeret, quòdque semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis interesse habentibus, idemque observaretur in erectionibus, dismembrationibus & applicationibus perpetuis, ac de Jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permisis fieri, & Beneficia seu bona unius Beneficii, seu bonis alterius Diocesis uniri respectivè prohibentis, aliisque Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus & Universalibus Conciliis editis & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus ac Xantonensis, Malleacensis & Burdigalensis Ecclesiarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus, Capitulis, & Canonicis, aliisque Superioribus, & personis in genere, vel in specie in contrarium forsitan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, etiam si aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ, observatâ, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene ac sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice tamen specialiter & expressè harum ferie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis circumscriptionis, suppressionis, extinctionis, dismembrationis, reparationis, erectionis, institutionis, decorationis, translationis, assignationis, suppositionis, tribuitionis, impartitionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1648. quarto Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quarto.

Cardinalis Barberinus Summator.

F. Morolus. P. Ciampinius. Vifa. P. Gentilius Registrata in Secretaria Brevium.

ANNO  
1655.

ALEXANDER SEPTIMUS,

PONTIFEX CCXLI.

ANNO DOMINI MDCLV.

Alexander, prius vocatus Fabius Chisius, anno 1655. in Summum Pontificem electus fuit, qui mox Diploma Antecessoris sui de damnatione Propositionum Jansenii confirmavit. Mors ejus anno duodecimo Pontificatus sequuta est. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1723. Tom. VII. Fol. 1. App.*)

Pastorum Ecclesiæ Sancti Martini Hallis Deiparæ unit Personatus, seu Rectoratus Collegii Societatis Jesu ejusdem Oppidi: an. 1659.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilecto Filio Officiali Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Cameracensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Regimini universalis Ecclesiæ, quamvis immeriti, disponente Domino præsidentes, circa id ferventibus votis intendimus, ut loca pia quælibet, præsertim Collegia ad juventutis eruditionem instituta, aliquo auxilio fulciantur, ac ei opportunè provideri curemus.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti Filii moderni Rectoris Collegii dilectorum Filiorum Præbyterorum Societatis Jesu Oppidi Hallensis Cameracensis Diocesis petitio continebat, quòd Præbyteri dictæ Societatis in dictum Oppidum his sub conditionibus admissi fuerunt, quòd ipsi proprium Templum in eorum Collegio nullo unquam tempore ædificare possent, sed Sacello B. Mariæ Virginis, quæ illic innumerorum miraculorum coruscans gloriâ, mirâ Christifidelium illuc undique confluentium devotione colitur, in Parochiali Ecclesia ipsius Oppidi posito, peculiarem curam, & sollicitudinem adhibere, ac suas consuetas functiones in dicta Ecclesia peragere deberent, & deinde ab felicis recordationis Urbano Papa Octavo Prædecessore nostro, seu de ejus mandato ipsius auctoritate Personatus dictæ Ecclesiæ Collegio Præbyterorum hujusmodi, quod tum in dicto Oppido inchoatum erat, ut ipsi Præbyteri Societatis prædictæ in augenda Christifidelium devotione, & promovendo ejusdem Deiparæ Virginis cultu, juxta eorum vocationem, & instituta indies magis fructificarent, unius fuit.

Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, ex quo Præbyteri Societatis ejusmodi in dictum Oppidum, ut præfertur, admissi fuerunt, divinus cultus & beatæ Mariæ Virginis Veneratio in devotis Fidelium animis, operâ, prædicationibus, & aliis ipsorum Præbyterorum piis exercitiis mirum in modum increverit, unum tamen esse noscatur, quòd dictæ Ecclesiæ bonum re-

I.  
Ex Op.  
Diplom.  
Miræi T.  
2. p. 1120.

gimen

ANNO  
1655.

gimen quandoque inturbare videtur, videlicet; Quod ipsa Ecclesia uni Præsbytero Seculari conferri soleat, qui diversorum status, & ordinis, ac à Rectore ejusdem Societatis omnino independens, sæpiusque minus bene erga ipsam Societatem affectus, & concurrentiâ officii, & confortio potestatis, pia Præsbyterorum Societatis hujusmodi exercitia quæsitis prætextibus, non sine divini cultus dispendio, ac Christifidelium scandalo, impedire, seu pervertere præsumit. Quare si ad tollendam dissensionem, & scandalorum, quæ aliquoties oriri contigit, occasionem, dicta Ecclesia Personati, & proinde Collegio prædictis, ut infra, perpetuò uniretur, & annecteretur, sicque ea, quæ ad divinum Cultum, & animarum Curam, & Salutem spectant, ordinandi potestas penes unum, & eundem existeret, ex hoc profectò omnia cum meliori ordine, & Christifidelium majori ædificatione peragerentur, ac divinus Cultus magis, ac magis promoveretur.

Nos igitur, qui dissensionibus, & scandalis potissimum inter personas Ecclesiasticas obviare, doctorumque Præsbyterorum statui consulere sinceris desideramus affectibus, prædictum Rectorem, qui, ut asserit, ratione Personatus prædicti primum locum in eadem Ecclesia obtinet, & Præsbyteros prædictos, & eorum singulos, ac Collegii hujusmodi singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & penis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non alias, si quæ sint uniones, annexiones, & incorporaciones dicto Collegio hætenus quomodolibet factas, verumque, & ultimum dictæ Ecclesiæ vacationis modum, etiam si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa, resultet, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus Rectoris, & Præsbyterorum prædictorum hac in parte nobis humiliter porrectis benignè inclinati, Discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, Ecclesiam prædictam, cujus, & illi forsam annexorum fructuum, redditus, & proventus viginti quatuor, una verò cum incertis centum Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annum, ut asseritur, non excedunt, cum primum illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut dimissionem, vel amissionem, aut privationem, seu Religionis ingressum dilecti Filii moderni dictæ Ecclesiæ Rectoris, aut alio quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam in aliquo ex mensibus, Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existentis, Sedi que prædictæ per Constitutiones Apostolicas, & Cancellariæ Apostolicæ regulas nunc, vel pro tempore reservatis, seu ordinariis Collatoribus etiam per Constitutiones & Regulas easdem, seu litteras alternatarum, aut alia privilegia, & indulta hætenus concessa, & in posterum concedenda vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præfertur, vel aliis quovis modo, quem, etiam si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa resultet, pro expresso haberi volumus, & ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem moderni dictæ Ecclesiæ Rectoris, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Testibus spontè factam, aut constitutionem P. M. Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, ipsaque Ecclesia

dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodò tempore datæ præsentium non sit in ea alicui specialiter Jus quæsitum, & nunc prout & tunc, & è contra, dictis Personati, ac Collegio, salvis tamen in omnibus, & per omnia remanentibus Juribus Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi, & dilectorum Filiorum Archidiaconi, & Decani Christianitatis districtus Hallensis modernorum, & pro tempore existentium, auctoritate nostra perpetuò unias, & annectas, ita quod liceat pro tempore existenti dicti Collegii Rectori per se, vel alium seu alios corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum suarum quarumcunque propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, curam dilectorum Filiorum Parochianorum dictæ Ecclesiæ, ac cætera munia pastoralia per unum Præsbyterum Secularem Theologum, & aliis bene qualificatum, per Rectorem dicti Collegii eligendum, & Ordinario Loci præsentandum, atque ab eodem Ordinario examinandum, & tanquam idoneum, antequam officium Vicarii dictæ Ecclesiæ recipere possit, approbandum, & admittendum, non tamen ad nutum Collegii prædicti Rectoris, nec ex quacunque causa, sed tantum ex causa gravi, & quæ privationem mereatur, non solum judicio dicti Rectoris, sed etiam Provincialis, & Consultorum dicti Collegii pro tempore existentium, amovibilem, exerceri, & administrari tantum debeat, qui de cætero quoad administrationem curæ animarum, Sacramentorumque, & aliorum munium Pastoralium dicto Ordinario subjectus existat, prout antea fuerunt Rectores Proprietarii dicti, & sunt similes Vicarii altarum Parochialium Ecclesiarum.

In casu tamen infirmitatis seu legitimi impedimenti Vicarii sic, ut, præfertur, deputandi, prædicti Collegii Rector curam animarum, & munia pastoralia, prædicta durante infirmitate, seu legitimo impedimento hujusmodi, per se ipsum exercere, seu per alium ad id ab eo deputandum Præsbyterum Secularem, seu de Superiorum licentia Regularem ad id idoneum, exerceri facere libere, & licite possit.

Vicario verò, ut præfertur, deputando prædicto remaneant usus domus rectoralis, cæteraque alia dictæ Ecclesiæ fructus, & emolumenta, illaque omnia percipere, exigere, levare, ac in usus suos, ac utilitatem liberè convertere possit, & valeat, illis tamen exceptis, quæ Personati, & Pastoralium sunt communia, quæ inter Rectorem dicti Collegii, & Vicarium, ut præfertur, deputandum hujusmodi erunt dividenda.

Præsentibus quoque ex quacunque causa, quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in Jus, vel controversiam revocari, vel ad viam, & terminos Juris reduci, seu adversus illas quodcunque Juris, vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam posse, nec debere, sed semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, easque, seu quibusvis similia, vel dissimilia gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum

ANNO  
1655.

ANNO  
1660.

ad summi Apostolatus apicem, & Sedem prædictam, etiam sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, pro tempore factis, & concessis, minime comprehendere, seu confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè redintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori data, per Rectorem Collegii huiusmodi quandocumque eligenda, concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios iudicari, & definiri debere, ac quidquid fecus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane auctoritate nostra prædicta decernens, non obstantibus regulâ nostrâ de exprimendo vero valore, & quatenus opus Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à Jure permixtis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras & processus habitos, ac inde secuta quæcumque ad dictam Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in iisdem Litteris mentio specialis.

Volumus autem, quodd propter unionem, & annexionem prædictas, si illas per te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, Ecclesia prædicta debitis propterea non fraudetur obsequiis, & Cura animarum Parochianorum nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consuetâ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

Subsignatum erat diversarum signaturis, & tandem super plica Boulboul, eratque appensum Signillum plumbeum dicti S. D. N. Alexandri VII.

II.  
Inter Mi-  
scell. Bib-  
lioth. An-  
glicæ  
Tom. 35.

Duo Brevia ad Lovaniensem Universitatem, & Facultatem Theologicam, quibus iterum damnantur Jansenii Propositiones: Anno 1660.

S. D. N. ALEXANDRI PAPÆ VII.

*Brevia ad Lovaniensem Universitatem, & Facultatem Theologicam, nuper Româ transmissa, & nunc primum edita: Leodii Typis Joannis Mathiæ Hovii 1660. Permissu Superiorum.*

*Typographus Lectori Benevolo &c.*

**P**ublicum, & ingens Lovanii ante aliquot hebdomadas gaudium fuisse occasione Lit-

terarum Apostolicarum tum ad Universitatem, tum ad Facultatem Theologicam missarum, passim Fama vulgavit: Sparfus etiam tum Leodii, tum alibi rumor fuit, *Alexandrum VII.* in iisdem retractasse sententiam ante hac contra Jansenii dogmata à Sede Apostolica latam. Quod postremum, licet Catholicis omnibus Sedis Apostolicæ infallibilitatem agnoscentibus risu potius, quam fide dignum visum fuerit, multorum tamen animos incesit Cupido cognoscendi, quæ tandem tanti gaudii causa esse potuerit. Horum iustis desideris ut inservirem, ipsas Litteras Apostolicas fideli manu descriptas typis vulgandas putavi. Utere benigne Lector & Vale.

*Approbario.*

Ut varii, & scandalosi rumores luce veritatis evanescant, expediet has Litteras Apostolicas typis excudi. Datum Leodii 17. Decembris 1660.

*Joan. Ernest. de Surlet,*

*Vicarius Generalis Leodiens.*

Primum Breve ad Universitatem.

*Dilectis Filiis, Rectori & Universitati Lovaniensi.*

ALEXANDER P. P. VII.

*Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

**P**acis inter ambos carissimos in Christo Filios nostros Reges, divinâ misericordiâ tandem compositæ commodis & felicitate frui vos Domino concedente posse, quemadmodum litteris vestris die vigesimo Martii datis ostenditis, pro paterna in vos caritate nostra profectò gaudemus. Cum præsertim hoc otio vos ad incumbendum ardentiori Studio litteris & virtutibus verè Catholico viro dignis de more usuros esse planè credamus. Porro autem eximium illud Salvatoris nostri voce toties inculcatum præceptum de servandis Ecclesiæ Mandatis, deque audienda voce Pastoris, quem Vicarium suum in terris universi gregis curâ demandatâ constituit, quam ad Salutem & vitam, tam profectò est ad omne veræ scientiæ, Doctrinæque lumen suscipiendum absolute necessarium: Nisi enim omnibus omninò determinationibus Apostolicis, & Firmitati Petræ, supra quam Ecclesiæ suæ Fundamenta statuit Dominus, omnes Hominum, & præcipue litteris addictorum cogitationes, & Consilia immobiliter adhæreant, incredibile prorsus est, in quot, & quantas vanitates, & insanias fallas humani curiositas ingenii, quò magis etiam ejus vis, & perspicacitas excellit, per invia tandem, & abrupta feratur. Universitatem præclaram istam, hujus Sanctæ Sedis Auctoritate fundatam, & amplissimis donatam Privilegiis, tum viris doctrinæ, meritorumque luce fulgentibus locupletem, piè religiosèque Matrem suam respicere, & summo vere venerari scimus, utque nullorum hominum turbidi Spiritus in ea planè remanserint, totius Consolationis Deum ex corde rogamus. Sed nulla satis magna diligentia est, quæ in cœrenda, & captivanda in obsequium Christi vaga per se illa sensuum ingenique humani licentia,